



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Vtrum Angeli peccaverint appetendo Divinitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT V.

DE PECCATO ET POENA ANGE-
LORVM.

CONTROVERSIA I.

Virum Angeli peccaverint appetendo Divinitatem.

960. **P**eccatum Angelorum fuisse peccatum Superbiae, ex immoderata aestimatione & amore propriae excellentiae, est certa sententia contra Scotum, expressa in Sacris paginis.

Verum in explicanda hac immoderatione, & obiecto illius amoris inordinati, tot ferè sunt sententiae, quot auctores.

961. Prima Sententia est: Peccatum Luciferi fuisse, quòd appetiverit aequalitatem cum Deo, seu ipsam Divinitatem, non quidem affectu simpliciter absoluto, & quoad modum tendendi efficaci (cognoscebat enim hoc esse impossibile) sed inefficaci quodam desiderio, quo desiderabat esse possibile, ut ipse esset Deus, & non esset alius Deus, sed Deus defacto existens esset sibi subiectus. Hanc sententiam P. Arriaga scilicet. 9. in fine tandem ceteris omnibus praefert. debet, nisi fallor, omnibus posthabere.

962. Rejicitur ergo 1. Huiusmodi Velleitates, ut notavit S. Thomas 7. 16. de malo a. 3. non ita solent allicere intellectum, praesertim perspicacissimum, qualis est Angelicus, ut amore imaginariae voluptatis, quae in eiusmodi velleitate reperiretur, desereret Deum, & ab ejus amore cessaret, seque illius inimicum constitueret, quem immediatè antè ferventissimè amasset. Certè nec in homine credo reperiri posse huiusmodi velleitatem, nisi vel indeliberatam, vel suppositam perverissimam voluntate, multum jam antè sceleribus immersam.

963. Rejicitur secundò. Quia huiusmodi velleitas non fuisset sufficiens occasio vel ansa praelij gravissimi, quod intercessit inter Angelos bonos & malos, nec etiam seductionis aliorum, & in suam sententiam translationis. Ad quid enim inducere voluit Lucifer alios Angelos? An ut etiam vellent esse Dij? atqui, si Lucifer ne vnum quidem Deum voluit esse sibi aequalem, quomodo tam multos gloriae suae affectatae amulos tolerasset, nedum ad hoc affectandum solli-

citasset? an ut sibi tanquam Deo essent subiecti? atqui ceteri Angeli non ignorarunt Luciferum non esse Deum: cur ergo, & cui bono habuissent velleitatem se illi subijciendi, si esset Deus? An, ut se sibi Lucifero tanquam supremo Angelo potius, quam Deo subicerent? Verum, si se ex superbia noluerunt vero Deo subicere, quomodo se subicerent Deo affectato?

964. Rejicitur 3. Quia Scriptura indicat conatum & actum absolutum, procedentem ex cognitione obiecti ut possibilis. *In caelum, inquebat, conscendam, super astra Dei &c. sedeo in monte testamenti; ascendam super altitudinem montium.* Hae sane non significant meras velleitates.

CONTROVERSIA II.

Virum peccatum Angelorum fuerit inordinata appetentia Beatitudinis supernaturalis.

965. **F**uit quorundam Sententia, Luciferum appetivisse beatitudinem habendam independentem ab ulterioribus meritis, eò quòd videret, se jam sanctificatum esse, & dignum tali beatitudine. Addunt alij, Luciferum ad hoc appetendum fuisse impulsam, quòd à Deo didicisset, Homines ad eandem beatitudinem elevandos esse: quapropter, ut saltem discrimen esset in modo acquirendi beatitudinem, desiderasse, ut Angelis daretur sine meritis, hominibus verò non nisi per merita.

966. Nec hæc sententia satisfacit. Vel enim hoc desiderarunt Angeli habere etiam independentem à Voluntate Dei, sive, invito Deo, vel dependentem ab ejus voluntate. Non primum, quia cognoverunt hoc sibi esse impossibile. Secundum verò non fuisset per se peccatum grave.

967. Di-